Dissertatio inauguralis medica sistens observationes practicas de medicina quadam efficaci in motibus naturae exacerbatis / [Johann Juncker].

## **Contributors**

Juncker, Johann, 1679-1759. Alberti, Michael, 1682-1757. Universität Halle-Wittenberg.

# **Publication/Creation**

Halae Magdeburicae (sic]): Typis Christiani Henckelii, [1718]

# **Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/yb8nde92

# License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection 183 Euston Road London NW1 2BE UK T +44 (0)20 7611 8722 E library@wellcomecollection.org https://wellcomecollection.org OBSERVATIONES PRACTICAS

# MEDICINA JUADAM EFFI-CACTIN MOTIBUS NA-TURÆ EXACERBATIS,

DEO PROPITIO

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO, SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO CAROLO, BORUSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-DENBURGICO, CETERA

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU, PRÆSIDE,

N. D. MICHAELE ALBERTI,

OTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO, MEDI-NÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, PHILOS. NATUR. EXTRAORD. REIPUBL. NORIBERG. PHYS. ORDIN. ACADEM. NAT. CURIOS. COLLEGA,


FACULTATIS MEDICÆ b. t. DECANO SPECTATISSIMO, ATRONO AC PROMOTORE SUO CUM HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORIS,

mmisque in arte Medica Honoribus, Infignibus, ac Privilegiis More Majorum Solenni obtinendis,

Ad d. Januar. MDCCXVIII. boris ante & pomeridianis,
Publicæ ventilationi submittet
AUCTOR

JOANNES JUNCKERUS,





B. C. D.

§. I.



Bseruationes practi-

cæ, sine errore collectæ, & cum aliis sideliter communicatæ, quam præcipuum rei medicæ momentum inuoluant, &, si primarium artis sinem respiciamus, o-

mnes theoriæ speculationes, longo studio post se relinquant, omnes omnino Practici, qui miseriæ humanæ succurrere in votis quidem habent, inopiam autem su-am non raro perspiciunt, vno ore testantur.

6. II.

Non desunt quidem libri, imo volumina, quæ observationum practicarum titulo veniunt, ingentem etiam remediorum farraginem satis audacter sæpe commendant. Quid autem inquam plurimis eorum vere desideretur, & quam minime desectus rei medicæ

A2

per

per eadem resarciantur, cordatorum virorum legantur & audiantur querelæ.

9. III.

Maxime autem omnium adhuc desiderantur talia medicamenta, quæ motus naturæ erroneos ita corrigere & in talem ordinem reducere possint, vt consectaria illa pessima, a vulgaribus huius census medicaminibus provenientia, excludantur.

6. IV.

Defectus tales non diuinæ voluntati, vtpote in miseriam nostram clementissimæ, sed ipsorum mortalium peruersis moribus tribuendos esse censemus. In quo quidem passu duo potissimum vitia accusanda veniunt, inuidia scilicet & leuitas mentis humanæ. Illa plurimorum animos ita occupauit, vtexiguas etiam res aliis inuideant; & quæuis friuola pro arcanis habenda esse putent; qui sane miseri quouis modo dolendi sunt: nesciunt enim, cur natisint, neque considerant, quod Deus ipsum Filium suum dono nobis dederit. Hæc, videlicet animi nostri leuitas omnia, quæ patescunt salutaria remedia, si non sunt pomposa, splendida, pretiosa, artificiosa, flocci facile pendit, & incredulitate sua efficacissimorum etiam remediorum vim eneruat: non recordans, quod res, quo simpliciores, eo perfectiores vtplurimum censendæ sint, & ipsa admiranda Dei opera ob eandem animi leuitatem, perpetuitate vilescant.

Hasce considerationes specifico illi remedio, de cuius essicacia in motuum anomaliis observationes quas-

\*36 (5) 38%

dam practicas manifestas reddemus, præmittendas esse iudicauimus, vt duæ illæ animi nostri extremæ peruerfitates, quantum fieri potest, præcludantur, vel ad minimum tanquam abominandæ accusentur. Sane e-nim, si vel vni mortalium per hasce observationes ansa daretur, auferendi præparato tali remedio cuiuscunque adflicti miseriam, hanc corporis salutem pluris, quam quæuis sinistra vtrimque iudicia, facturi essemus.

Non enim diffiteor, cum dissertationem inauguralem scribere mihi imponeretur, quod animi mei vota eo statim abierint, vnde eiusmodi thema petendum esset, a cuius euolutione vsus qualiscunque medicus in genus quidem humanum redundaret; omnis autem vana ostentatio, que hac precipue occasione sese immiscere solet, excluderetur. Quem vtrumque scopum per elecham hanc materiam ob has rationes attingere spero, quia huius medicinae non inuentor, sed explanator tantum reputandus sum, & tamen vsus salutaris, si rite præparata, dextreque adplicata fuerit, haud dubie inde refultabit. Commodum etiam illud inde reportabo, quod supersedere hac ratione potuero multiplici illa enarratione, quam nonnulli iam amici a me de illa re defiderarunt & impetrarunt.

Præparatur autem hoc specificum remedium e quacunque animalium parte: ad quod inquirendi primam mihi dedit occasionem Tractatus ille Christiani Democriti, Vitæ animalis morbus & medicina inscriptus, in quo Dominus Auctor pag. 89 & 90. peculiares plane effectus

## (6) 9##

eidem adscribit, cuius ipsissima verba, quia Tractatus non in omnium manibus est, hic adpono: "Non pos-"íum, quin hic in commodum proximi, & in demon-"strationem assertæ hypotheseos communicem medi-,,camentum, quo omnes omnino febres intermittentes, "vnica saltem administrata dosi, solutas esse sæpissime "comperi, & quidem operatione satis mirabili; somno e-"nim corripiebantur decumbentes, & protracta per horas "nonnunquam quindecim dulci quiete florescente & vi-"uido faciei colore conspicua, frustrantes paroxysmum "sani resurgebant, de non recursuro hoste securi. Ea-"dem stupenda vi somnifera ægrotis, cum sanis nullum "omnino somnum inducat, sopivit conuulsionum mi-"serandarum tragædiam, qua æger libero quasi aëre sus-"pendebatur, mentis & sensuum, etiam extra paroxy-"Îmum impos, & creditus a cacodæmone agi: inducto "enim somno triginta horarum incolumem stitit ægrum, "loquela & intellectu simul redintegratis, & omnibus Me-"dicis, qui operam locauerant, vna cum præsentibus aliis "quasi attonitis, ac dum de veritate lapidis philosophici "& medicinæ vniuersalis fere persuasis, licet vilissimum & "abiectum pharmacopœis fuerit medicamentum; pati-"entibus tamen manibus elaboratum: cuius sapori grato "aromatico si responderet odoris graue penetrantis con-"ditio, esset quidem vnum ex omnibus quo maxima "morborum coagulantium pars vno quasi ictu cito, tuto "& iucunde amputariposset. Est istud oleum destilla-"tum & separatum a suo sale, ex animalis partibus qui-"buscunque ex cormuta sine vllius rei additione eo vsque "rectificatum, donec nil adustarum fecum nigrarum am-"plius

·器(7) 部

"plius in fundo relinquat, quod vel quindecim ad mini-"mum repetitionibus obtinetur. Istud inquam oleum "triginta vel quadraginta guttarum pondere ante paro-"xysmum ieiuno stomacho, exhibitum, somno dulci, & "de nulla narcosi suspecto, febres sepelit.,

6. VIII.

His perspectis cupidus eram experiundi, num medicamentum tam manisestissima non solum, verum etiam omnino securissima, essicacia a diuina clementia mortalibus concessum sit. Cumque in side Domini Auctoris nullum quidem dubium ponerem, sed in quibusdam tantum hypothesibus diuersum sentirem, praparationem illius remedii, vt vt laboriosissimam, cum sincero amico, Domino Joannne Elia Cramero, tum domestico meo, deinde Practico Schwinfurtensi, & iam idem mecum ius ac priuilegium artis amplectente, bona siducia ordiebamur, ac intra sedecim circiter hebdomadas feliciter absoluebamus.

g. IX.

Subiectum, quod ad præparandam hanc medicinam eligebatur, erat cruor ceruinus, qui leniter exficcatus, & retortæ immissus, vt artis est, tractabatur. Phlegmate, spiritu & sale volatili accuratissime remotis, solum oleum mediante retorta, eaque quibusuis fere rectificationibus noua, tam diu, dextro ignis regimine, abstrahebatur, donec ne leuissimum quidem fecum adustarum vestigium in vitro visui amplius sese offerret: id quod vicesima prima demum repetitione obtinebatur.

Sub his rectificationibus oleum, quod sub initium satis

satis crassum, setidi odoris & aduersi saporis erat, subtilius, odore paululum suauius, penetrantioris & balsamici reuera saporis in dies reddebatur, donec, vti dictum
est, plenariam sui attingeret perfectionem: Quo sine obtento nostra cupido slagrabat, vt daretur occasio, qua
mirificus ille de hoc remedio laudatus esfectus observari
posse: semper enim virtus illa soporisera, & febres prosligans, quæ a Domino Auctore indicabatur, suspecta
manebat, ob tristia illa vestigia, quæ communia in praxi
narcotica, vti & febres directe sistentia vtplurimum relinquunt.

S. XI.

Accedebat miles quidam, quadraginta circiter annorum, qui testante Chiliarcha suo, per sex annos epilepsia laborauerat, ita quidem, vt tribus semper diebus circa conspicuas lunæ phases, plenilunium scilicet & nouilunium, ab illa infestaretur. Primo die, quo a morbo hoc corripiebatur, quinquies circiter, altero ter vel quater, tertio semel vel bis paroxysmus recurrebat: a quibus frequentibus paroxysmorum per tot annos insultibus patiens viribus non solum valde exhaustus ac emaciatus, verum etiam mente stupidus, imo quodammodo iam fatuus adparebat.

§. XII.

Remedia generaliora, quæ, vt legis est apud Practicos, ante specifici huius adplicationem debebant adplicari, temporis angustia excludebat: die enim subsequente paroxysmus recurrebat. Primo illius insultu sinito
(sub quo lingua ad cruorem vsque dentibus sauciata fuit) & altero iam imminente, misero huic guttæ triginta

huius

**88** (9) 383

huius olei propinabantur, quo momento obdormiebat, sub somno sepius sternutabat, & cum aliquoties de vno in alterum latus recumberet, atque hac ratione semi-vigilans redderetur, dicebat: o das ist eine gar zu gue te Sache!

S. XIII.

Post 26. horas euigilabat floridus facie, hilaris animo,& insolito plane appetitu, cum antea pallidus, flaccidus, tristis & inappetens fuisset. Reliqui paroxysmi omnes, qui exspectandi adhuc erant sequentibus diebus, non solum penitus supprimebantur, sed nulli etiam alii recurrebant. Restitutus enim, qui per integrum adhuc annum in eo loco permanebat, ne exiguum quidem sanitatis offendiculum persentiscebat, sed habitus corporis in dies robustior reddebatur, & artus, qui antea rigidi ac per omnes morbiannos grauiores fuerant, iam ita flexiles & leues sentiebantur, vt restitutus sæpius diceret: 3ch bin in meinen Gliedern so leichte, daß ich über Stühle und Tische hinüber springen mögte; imo ipsius ratiocinii læsa facultas mox feliciter redibat. Sic vnica dofiatrox hoc malum mirifice tollebatur.

S. XIV.

Quæ animum nostrum gaudia, ob essectum tam stupendum, & omnem scepsin medicam destruentem, repleuerint, illi, qui a salute proximi voluptatem concipiunt, facile sane coniicient, & clementiam diuinam, qua ex ipsa morte, ceruo nempe interemto, vitam restaurat, nobiscum extollent.

G. XV.

Alterum exemplum exhibet virgo quædam 17. annorum, temperamenti potissimum melancholici, & vitæ

B

· (10) 部

sedentariæ addicta, quæ ob mensium emansionem varia hypochondriaco-hysterica pathemata incurrebat, donec tandem motus illi spastici in conuulsiuos transmigrarent, ita quidem, vt fingulis diebus hora post meridiem quinta paroxysmus epilepticus accederet, & per vnius horæ spatium circiter duraret.

S. XVI.

Præmittebantur remedia generaliora, primariæ horum motuum caussæ, nempe emansioni mensium, præcipue destinata, & cum effectus notabilis non ita prompte succederet, sed convulsiones peraliquot hebdomadas quotidie durarent, parens impulsu aliorum a chirurgo quodam auxilium petebat, qui remedia ad sensum calida offerebat, vndeille paroxismus, qui circa vesperam occurrebat, non solum notabiliter exacerbabatur, veru etiam alius adhuc circa mediam noctem accedebat.

6 XVII.

Oleum nostrum, quod multo labore & exigua portione paratum erat, epilepsiæ huic symptomaticæ opponere, operæ pretium non ducebamus: nullum enim in præsens periculum affectustales portendunt, & vilioribus medicamentis, methodo genuina accedente, superantur. Quum vero incolæ illius loci parentis animum non mediocriter adfligerent, & morbum sub incantationistitulum referrent, parenti de nouo auxilium petenti aufcultabamus.

6. XVIII.

Exhibebantur itaque puellæ 25. guttæ olei ante paxysmum, a quo momento illa obdormiebat, sub somno frequenter sternutabat, & cum per 24. horas a fomno illo tranquillo, imo dulci plane, euigilaret, nole--01

器 (11) 器

bat credere, se per tot horas dormiuisse, sed eundem adhuc esse diem, quo obdormiuerat, reputabat. Intereastatim exclamabat: o quam esurio! morosa alias & adspectu pallida, iam hilari & slorida facie conspicua erat. Viuebat per dimidium annum satis sana, si excipiamus motus aliquos in abdomine leniores, promotionem mensium respicientes.

S. XIX.

Monebatur autem subinde, vt ad menses prouocandos medicamina adsumeret, sed secura consilium hoc adspernabatur: vnde non potui, quin illi recursum paroxysmi epileptici diuinarem. Dictum, factum: redibant enim circa æquinoctium vernale motus primum spassici, & tandem conuulsiui, eaque ipsa quinta hora post meridiem.

S. XX.

Omissis iam generalioribus remediis, quæ puella respuebat, oleum secunda vice ad 25 guttas propinabatur, quo momento iterum obdormiebat, sub somno sternutabat, lenem sudorem excernebat, & post 21. horas hilaris, slorida, appetens euigilabat.

S. XXI.

Durabat hæc euphoria non amplius quam per dimidium iterum annum, ob contumaciam in medicamenta adfumenda perennem: circa æquinoctium enim autumnale eadem scena ludebatur, quo tempore oleum, tertia vice ad 25 guttas exhibitum, eundem per omnia edebat essectum. Mox deinde domicilium meum ex illo loco, longe hinc dissito, transferebam, nesciens iam, num menses tandem successerint.

Pro tertio exemplo allegamus virginem plethori-B 2 cam ·别是 (12) 别等

cam, 21. annorum, temperamenti potissimum sanguinei, quæ post mensium per integrum annum obstructionem & varia spastica molimina, singulis diebus, horis post meridiem motibus conuulsiuis corripiebatur. Nullis aliis præmissis exhibebatur oleum ad 30 guttas, vnde statim obdormiebat, sub sonno sternutabat, lenem sudorem excernebat, media nocte semi-vigilans vrinam emittebat, & post 24 horas hilaris, slorido adspectu & appetitu ingente euigilabat. Paroxysmus epilepticus non solum penitus supprimebatur, verum etiam menstruus sluxus sequente die redibat, optima cum euphoria.

S. XXIII.

Quartum exemplum sistit virgo 40 annorum, quæ ab epilepticis motibus idiopathicis magis, quam symptomaticis, per 15 annos singulis mensibus bis, incertis tamen diebus, exercebatur. Hæc cum tempus inuasionis præscire non posset, olei triginta guttas adsumebat. Nullus quidem subsequebatur somnus, epilepsiatamen illo ipso mense semel tantum illam inuadebat, &
cum altero mense alteram olei dosin accepisset, somnus
per 4 horas sequebatur, & patiens postero tempore satis
sana & ab epilepsia libera viuebat.

6. XXIV.

Adfexum virilem iterum transimus, & proquinto exemplo adducimus iuuenem 24 annorum, plethoricum, fanguineo - melancholicum, qui per plures annos epilepsia idiopathica vexatus erat. Tempus inuasionis erat quidem incertum, bis tamen per hebdomadem, & nocturno plerumque tempore, paroxysmus occurrebat. Præmissis generalioribus, laxantıbus scilicet & ipsa Venæ sectione, propinabatur oleum ad guttas triginta, quo

momento obdormiebat, sæpius sternutabat, & post 14. horas vegetus expergiscebatur, ac postero tempore ab insultibus epilepticis liber manebat.

S. XXV.

Sextum denique exemplum sistit iuuenis 27 annorum, temperamenti melancholico-sanguinei, qui per varias in familia sua contentiones delirium melancholicum, & sapius quidem per diem incidebat, sermones de rebus sacris frequentes quidem instituebat, in nouercam autem animi erat indignabundi, ita vt ne videre quidem illam posset. Offerebantur illi 30 guttæ olei, statim obdormiebat, & cum post 8 horas euigilaret, mente erat tranquillus, compositus, Deo verbis emphaticis gratias dicebat, peccati, in nouercam commissi, deprecationem præcipue secum constituebat, & reliquo tempore sanus viuebat.

Sufficiant hæc de effectu huius olei manifessimo in corrigendis motibus erroneis allegasse: plura quidem eiusde commatis exempla huc adponere potuissemus: ne vero per eandem materiam, frequentius repetitam, nauseam lectori moueamus, allegabimus potius aliquot adhuc exempla, vbi vel nullum, vel exiguum tantum effectum oleum exhibuit: mutila enim & side non plane digna est historia illa medica, quæ effectus quidem salutares huius vel illius remedii describit, reliquas autem circumstantias, in quibus nullam efficaciam exseruit, tacet.

S. XXVII.

Quamquam enim tres olei vnciæ propemodum ita consumtæ sint, vt in quam plurimis essectum illum salutarem vnica sæpissime dosis ostenderit: habemus tamen

B3

exempla, in quibus oleum omni studio & observatione adhibitum est, nullum autem constantem edidit essicaciam, luculento sane testimonio: quod & hoc remedium, licet mirifica & iucunda virtute consirmatum, ad imperfectionem tamen rerum humanarum sit referendum; cuius rei tria exempla allegabo.

S. XXVIII.

Vir 46 circiter annorum, temperamenti insigniter melancholici, mania furiosa & motibus epilepticis per multos annos agitatus erat, cuius miseria, licet primum stimulum ad præparandum hoc oleum nobis adiecerit, a duabus tamen dosibus, absenti transmissis, nullo modo auferebatur.

S. XXIX.

Puer quidam 14 annorum motibus epilepticis singulis sere horis corripiebatur, vermes quidem satis erant suspecti, remedia autem ad illos expellendos adsumere præfracterecusabat. In hoc cum oleum adhiberetur, nullum essectum exhibebat, sed paroxysmi epileptici per aliquot adhuc hebdomadas durabant, donec sponte demum cessarent.

§. XXX.

Iuuenis quidam 28 annorum, temperamenti melancholico-fanguinei, a feptimo ætatis anno epilepsia correptus fuit, primis quidem annis paroxysmus quouis trimestri spatio repullulabat, posterioribo autem insultus tales singulishebdomadibus semel velbis ordinarie inuadebant. Semel per hebdomadem cum motus illi conuulsiui occurrerent, fortiores erant, bis autem quando infestabant, mitiores observabantur. Aliquoties ad decimum vsque diem a recursione paroxysmi liber deprehensus

hensus est, quo autem casu eo vehementior suit. Miser hic cum auxilium peteret, febre tertiana laborabat, qua conuenientibus remediis profligata, & aliis generalioribus medicametis præmissis, olei vsus adhibebatur. Sumebat itaque singulis diebus mane triginta guttas; octavo autem die, quo paroxysmus maxime timendus erat, secunda adhuc dosis vesperi propinabatur, a quibus omnibus nullus inducebatur fomnus. Nono die vnica iterum dosis offerebatur, quod etiam decimo factum est. Patiens, quia omnibus hisce diebus ab insultibus epile--pticis, per tot annos ipsi familiaribus, liber fuerat, spem plenariæ ab hoc malo liberationis testabatur, & vale mihi dicens vnicam adhue olei dosin, domum portandam, petebat, vt illam vndecimo die, quo semel tantum per omnes illos annos paroxylmum expertus fuerat, fumere & hac ratione omnem morbi recursum præcludere posset. Verumenim vero cum parens vndecimo die observaret, quod filius patiens satis vegetus surrexisset, dissuadebit olei vlteriorem vsum, & hanc residuam dosin, tanquam bonum thesaurum, ad futuram necessitatem reponendam commendabat. Exibat filius in campum, ad consuetos labores suos adgrediendos, cumque per aliquothoras huic negotio sese dedisset, epilepsia vndecimo hocce die recurrebat; qui casus parentem ita deterrebat: vt ad alterum extremum, nulla scilicet medicamenta amplius adhibere, excurreret; quod decretum fuum duabus præcipue rationibus firmabat: videlicet aiebat, se tam multorum Medicorum remedia iam frustra adhibuisse, & patientem in ignem sub paroxysmo aliquando fuisse conjectum, a quo tempore nullum amplius auxilium esse sperandum.

そがら (10) からか 6. XXXI. In affectibus arthriticis olei huius efficaciam experiundi commoda nondum occasio sese obtulit, quia exiguam illam portionem grauioribus adfectibus deftinandam iudicaui. In febribus intermittentibus nullum ab hoc oleo vidi effectum, licet aliquoties illud in iisdem adhibuerim; quæ sane res animum magis erexit quam confregit: fatis enim scio, quod Syluiana illa hypothesis, a qua Dominus Auctor in hoc quidem passu parum recedit, febrium negotium vix attingat, nedum absoluat.

6. XXXII. Illud non prætermittendum esse existimo; quod ex ore ipsius Domini Auctoris percepi: altiore enim consideratione dignum est. Voluit nempe odorem huius olei, nonnullis ingratum, corrigere, &, ad hoc obtinendum, portionem anisi retortæ immisit. Testabatur autem omnes illos, qui ab oleo, hac additione parato, accepe-

rint; per duas horas visu priuatos fuisse.

§. XXXIII. Ceterum notabiles huius olei effectus ansam nobis dederunt, vt vlteriori chymico examini hanc rem subiiceremus. Videlicet non solum oleum, sed spiritum, sal volatile & fixum coniunximus, & per crebras cohobationes intra dimidii anni tempus certis encheirefibus sal fixum ita volatile redditum est, voomne illud adscenderit. Qui autem effectus inde exspectandi sint, nondum satis

scio, quia occasio illud experiundi adhuc defuit.

§. XXXIV. Iam, cum experientiæ & veritati historicæ primus locus, vti decet, delatus sit, superesset, vt ratio & nexus caussalis, quomodo scilicet & cur e tali remedio tales effectus proueniant, oftenderetur. Non autem dissimulo, quod, licet multum de hacre mecum cogitauerim, nunquam tamen satis mihi faciam. Hinc ad afylum illud confugio, quod de specificorum agendi modo ratio nostra nullum facile sibi conceptum formare possit, &quod multaalia adhuc sint in rerum natura, quorum existendi & agendi rationes intellectus noster nondum adsequutus est.

S. XXXV. Faxit autem diuina benignitas, ve plures adhuc absconditi naturæ fontes deregantur, & in miseriam humanam, cui Medici

præcipue nati funt, redundent!

S. D. G.